

nisi fixus in X esset, elevatura eodem modo quo aliàs situlam interiorem libratam attollit, nunc à basi cylindri lignei immobilis retroflexa tota in fundum vasculi R sese exserit & contrapondio T eodem modo æquilibris redditur, ac si vasculum aquâ repletum fuisset ad eandem altitudinem. Quod si quis ipsum *Stevinum* de his ratiocinantem audire gestiat, evolvat Lib. IV. Stat. de elementis Hydrostat. Prop. X. hujusque Corollaria.

CONCLUSIO V. Intervalla porrò illa nunc subsidentis nunc subsidentis iterum hydriæ interioris procul dubio exinde suborta sunt, quòd aqua exterioris hydriæ, jam paulò altior, inter utrumque fundum copiosius illapsa juxta Conclus. I. ac III. hydriam interiorem subito sustulerit, mox tandem per amplum foramen in fundo hydriæ exterioris delapsa, illam proprio pondere subsidere rursus sit passa, non sine notabili tamen aëris ex imo in locum aquæ delapsæ expulsi ractu quasi quodam ac ebullitione, sæpiùs postea eodem modo iteratis, donec aër omnis ex ima illa cavitate omnibus fundis hydriæ exterioris interceptâ depulsus esset, & aqua illum locum penitus explens interiorem hydriam penitus tandem sublatam suspensamque teneret.

CONCLUSIO VI. Ex duobus autem orbiculis infimum quidem foramini fundi incumbentem necessariò hærrere, ex Conclus. II. alterum verò sive superiorem pari necessitate ascendere, ex Conclus. I. jam constat; siquidem hujus posterioris intuitu fundus hydriæ exterioris ab illo priore obturatus & sic reipsâ non-perforatus est. Nec alia ratio est gemini obturaculi in valvula, interioris sc. juxta tubi foramen hærentis, quia aqua per ejus commissuras subrepens effluere per illud foramen poterat, & exterioris statim delabentis ex opposita ratione, quòd aqua subrepens ab interiori obturaculo cohibita pressionem suam in exterius obturaculum exserere statim cogeretur.

CON-

Causa 25.
Phæn.

Causa Phæ-
nom. 21,
& 22;